glandes ructant. D. Jesus, qui lavit nos sanguine suo, ut simus sancti et irreprehensibiles coram ipso, servet nos puros ab omni fermento versutiæ et nequitiæ per Spiritum veritatis. Amen. Vale venerande frater Brassi, & nostri memor in tuis orationibus i, dem studium à nobis exspecta. Bremæ 7. Cal: Martias 1557. inter balbutientes pueros.

Johannes Molanus.

[128] D. Alberto Rÿchard in comitatu Hessensi scandro.

Pax Christi.

[= Arch. a. 7: No. 3]

Nostra hic turba adhuc in ambiguo hærent: quis futurus sit tandem exitus Deo curæ erit. Utinam mihi Filius Dei hoc largiatur pro consolatione tum exilij, tum ingravescentis jam ætatis, ut in aliquo cœtu vivam (quamvis tenuiter) ubi decem homines habeam idem in doctrina fidei constanter probantes. Non sane me pigeret hujus Ecclesiæ (quid enim est in hac vita perfectum?) nisi me hoc unum angeret, quod in nonnullis ab ejus custodibus dissidens, ipsorum morositate, quos propter communem patriam tutores et patronos habere debueram, eo necessitatis redactus sum, ut aut confirmare debeam, quæ minus probo, aut quasi abstertus homo fratrum commertia declinare. quod tamen posterius mihi duco tolerabilius, quam in his, quæ sunt conscientiæ & fidei, cujusquam hominis jugum subire. Itaq. quomihicunq. res cadat, stat sententia, sine ulla simulatione apud eos, qui inquirunt, modeste confiteri, quæ me scio ex æterna Dei veritate percepisse. Nec vobis (audio) res prorsus tranquillas esse. quid vos turbarit, quove loco sitis (nisi molestum erit) velim rescribas. Simul autem te oro et D. Cornelium meos patriotas, ut vestris me ~~lacibus~~ precibus juvetis apud Christum Servatorem, sentio enim jam pridem, quã non suavis vita sit procul ab amicis omnibus importunorum hominum acerba otia, et diros Sathanæ morsus quotidie sustinenti. Christus Jesus, qui me extrusit patriæ finibus, concederat mihi turgurium aliquod (dum vivam) quod sit eorum tabernis contiguũ

nis contiguum, qui invocant ejus nomen in spiritu & veritate. A-
men. Vale mi frater & vide, quæso, nunc ubi huic Henrico Vliet
operam dare possis. Bremæ 10 Cale. Mart: 1557.

Tui studiosus Johannes Molanus.

M. Petro de Smet doctiss. viro amico meo, Stapris

Grata mihi fuit tui erga me animi significatio, quam dedisti in cita- 124)
to hoc cive vestro ut de me inquireret, ac si Bremæ essem, salutem tuo [= Mocr. a. 7: No. 4, aber ohne dessen Postscriptum]
nobis nomine precaretur. Non essent veteres amici (in quibus te quoque
et Socerum hospitem meum numero) tam incerti rerum mearum (quales
sint cunque) nisi tam exulcerata essent hæc tempora, ut me prorsus à
scribendis literis absterreant, non de nihilo metuentem, ne quid cum a-
micorum periculo in eorum manus incidat, quorum veloces sunt
pedes ad sanguinem fundendum. Qui desertis villis insident, qui struunt la-
tenter insidias (sicut leones in lustris) ut innoxios homines suis unguibus
implicent ac pessundent. Nunc tamen, quoniam eum virum nactus sum
(ut arbitror) cui tuto credam, pauca vobis cum de meis rebus, tum de
communi statu religionis judicabo. Meæ res (ut eas priores expediam)
toto hoc triennio eodem tenore humiles quidem, attamen tranquillæ
fuerunt. Decem me aut 12 pueri aluerunt docentem eos ipsos priva-
tim & studiis meis fruentem. Una interim lectione juvo publicam scho-
lam, ne parum gratus hospes essem: hujus lectionis nomine commorandi
mihi datus est locus, et 30 aurei et immunitas à multis incommo-
ditatibus, quibus hic cives onerantur. Tolerabilis hæc mihi conditio
visa est longè infra mediocritatem erudito, præsertim in ea urbe, u-
bi sine periculo liceat sacras literas avidè arripere, et pro modulo
quem dedit Dominus pietatem colere. Cæterum (ut nihil est sta-
bile sub luna) detractum est aliquid ei qualicunque felicitati his
mensibus proximis, qui non meam modo (quam sane non debeo tan-
ti pendere) sed publicam totius Ecclesiæ tranquillitatem tri-
stissimis dissidiis turbarunt. Ea qualia sint, & quâ de re, &
tute melius ex hoc viro intelliges, et mihi acerbum sit commemo-
rare. Itaque nunc eo loco sumus, ut nisi dissimulem, quod veri-

tati consentaneum